De quibusdam novis *Caelostominis.*

(Coleoptera: Carabidae.)

Auctore S. L. Straneo, Parma (Italia).

(Cum figura una.)

Dr. Walther Horn mihi complures *Caelostominos* africanos communicavit. Dum ad aliud tempus differo compositionem monographiae de Africanis *Caelostominis*, novarum specierum aliquarum descriptiones hic dilvulgare opportunum puto. Doctori W. Horn gratias ago quod mihi paratypos specierum novarum liberaliter retinere concessit.

Trichillinus nov. gen.

Ligula ad apicem truncata, bisetosa; paraglossae membranaceae, liberae, subtiles, parum extremam ligulam superantes. Mentum modice incavatum, fundo incavi modice et late prominente; dente medio modice explicato, mediocriter prominente, apice sat acuminato, non rotundato nec incavato; lobis lateralibus, divergentibus, epilobis apice distincte lobos superantibus. Maxillae lobo interno dentibus et spinulus inter se distantibus instructo. Mandibulae apice modice arcuato et acuminato, scrobis seta nulla praeditis. Palpi subtiles et elongati; maxillarium articulo ultimo fusiformi, apice modice acuminato; labialium articulo ultimo ad apicem sat rotundato, paenultimo bisetoso. Labrum margine antico parum incavato, 6 setis praedito.

Antennae filiformes, subtiles, sat elongatae, articulo quarto et sequentibus pubescentibus.

Caput utrinque poris setigeris binis supraocularibus praeditum; impressionibus frontalibus profundis: post oculos constrictum.

Pronotum margine laterali poris setigeris binis instructo, altero in medio, altero in angulo postico positis; basi utrinque sulco lineari singulo notata.

Elytra 9-striata, striis profundis et crenulatis; striola scutellari exigua, sed distincte notata; interstito tertio punctis binis minimis notato, altero in medio, altero prope $^3/_4$ longitudinis posito: septimo poro parvo ad apicem praedito: margine basali rudimentali; epipleuris ante apicem intextis; serie umbilicata 14 poris composita, 6 ad humeros positos, 4 parum post medium, 4 ante sinuositatem praeapicalem. Subtus prosterno longitudinaliter sulcato, antice marginato; proepisternis levibus; metepisternis longis, postice valde constrictis, intus, extus et antice fortiter sulcatis et marginatis: sternitibus levibus in medio, ad latera rugosis, transverse non sulcatis, poris setigeris usitatis praeditis: sternite anali maris poro setigero singulo, foeminae binis utrinque instructo.

Pedes elongati subtilesque; trochanteribus posticis simplicibus, apice rotundato: tibiis anticis extus et antice sulcatis; posticis fortiter sulculatis; tarsis omnibus in utroque sexu dilatatis, et superficie superiore glabra, in medio longitudinaliter fortiter sulcata; subtus villosis; tarsis anticis maris tam dilatatis quam in foemina, sed subtus, praeter pilos, squamulas ferentibus.

Aedeagus inversus, sicut in *Caelostomis*, sed crassior et brevissimus.

Genotypus: *Trichillinus Horni* n. sp.

Genus hoc valde aberrans prae omnibus Caelostominis jam cognitis est. Praesentia punctorum in tertia interstitio elytrorum et striae scutellaris brevis sed distinctissimae; contractio capitis post oculos, et series umbilicata 14 poris constituta proprietates novae sunt in Caelostominis. Nihilo minus habitus, partes buccales et caeterae proprietates genus hoc in Caelostominis ponere cogunt.

Trichillinus Horni n. sp.

Colore nigro, parum nitido, antennis, palpis, ore pedibusque omnino flavo-ferrugineis. Long. 8,3 mm.; lat. 3,6 mm.

Caput sat angustum et elongatum, post oculos evidenter constrictum: poro setigero supraoculari posteriore valde amoto partem interiorem capitis versus: oculis sat convexis, temporibus distincte notatis, tam longis quam dimidio oculo: sulcis frontalibus sat elongatis, usque ad primum porum supraocularem latis et profundis, dein angustis et superficialibus: antennis filiformibus, basim pronoti superantibus, articulis quarto et sequentibus pubescentibus.



Fig. 1. *Trichillinus Horni* n. sp.

Pronotum sat parvum, subrotundatum: long. 1,8 mm.; lat. max. 2,1 mm.; lat. marginis ant. 1,2 mm; lat. basis 1,6 mm.: lateribus regulariter rotundatis usque ad basim, angulis anticis parum prominentibus et rotundatis, posticis obtusis, robusto dente praeditis, sic ut recti videantur: basi profunde et lineariter utrinque unistriata, inter sulcos et marginem lateralem declivi et parum depressa: margine antico parum incavato, non marginato; canaliculo laterali modice

lato, intus crenulato: basi non marginata, inter sulcos et apud angulos punctis conspicuis sed superficialibus instructa.

Elytra ovalia et brevia: long. 4,6 mm.; lat. max. 3,6 mm.: lateribus apud basim sat fortiter dilatatis, dein subparallelis usque ad $^2/_3$ longitudinis, dein convergentibus: humeris omnino et late rotundatis, margine basali subtili, usque ad basim 4ae striae praesente: apud basim portione levi, non striata: stria scutellari brevi, sed distincte notata; striis profundis, crebre et sat fortiter crenulatis; interstitiis convexis, 3° punctis binis minimis instructo, altero in medio, altero prope $^3/_4$ longitudinis positis: sinuositate praeapicali sat notata, apice obtuse rotundato.

Subtus proepisternis levibus; prosterno longitudinaliter leviter sulcato, antice marginato et sulcato, sulco leviter crenulato et ulteriore impressione transversa notato, ante coxas valde distincta: processu prosternali ad apicem impresso, quasi marginato: metatasterni angulis posticis 10—12 punctis praeditis, metepisternis levibus, ut in descriptione generis conformatis: sternitibus levibus, non punctatis; sternite anali maris puncto singulo, foeminae punctis binis utrinque praedito.

Pedes sicut in descriptione generis conformati.

Aedeagus brevis, inversus, ut in *Caelostomis* ordinariis instructus, sed valde crassior et brevior; apice, visione laterali, breviter acuminato.

Microsculptura lineis transversis et punctis parvis sed profunde impressis formata.

Habitat: Kamerun, sine alio indictio (leg. Conradt), (1 ♂ et 3 ♀). Holotypus et 2 paratypi in Coll. Kraatz in Deutsches Entomologisches Institut: allotypus in coll. Straneo.

Caelostomus punctisternus n. sp.

Colore nigro nitido, antennis palpis pedibusque et saepe parva portione marginis antici pronoti ferrugineis. Long. 4,7 mm.; lat. 2,2 mm.

Caput sat latum et breve, oculis convexis, temporibus nullis, sulcis frontalibus sat elongatis, porum supraocularem secundum attingentibus, rugosis, antice distincte duplicatis: antennis moniliformibus, basim pronoti vix superantibus, articulis 4° et sequentibus pubescentibus.

Pronotum sat latum, subcordiforme; long. 1,1 mm., lat. 1,6 mm.: lat. marginis anterioris 1 mm.; lat. basis 1,3 mm.: lateribus antice sat rotundatis, post dimidiam longitudinem sinuatis et constrictis: angulis anticis rotundatis sed distincte notatis, posticis parum obtusis, denticulo instructis: basi utrinque profunde unisulcata, sulcis basalibus profundis et sat elongatis, dimidiam longitudinem pronoti attingentibus, antice modice convergentibus, extus portione plana, non depressa, limitatis: canaliculo laterali sat lato, poris setigeris binis usitatis instructo: basi levi, non punctata: disco modice convexo, linea media sat longa profundaque.

Elytra subparallela: long. 2,8 mm.; lat. 2,2 mm.: lateribus prope basim fortiter rotundatis et dilatatis: post dimidiam longitudinem convergentibus: humeris obtuse rotundatis; margine basali subtili, usque ad basim tertiae striae praesente, stria scutellari nulla, striis profundis, crenulatione crassa et lata praeditis, tertia poro ad basim instructa, interstitiis convexis, sinuositate praeapicali sat conspicua, apice obtuse rotundato.

Subtus proepisternis punctis crassis antice et extus tectis, tantum apud coxas levibus; prosterno antice marginato, impressione alia transversa instructa, longitudinaliter fortiter sulcato; processu ad apicem impressione parva et profunda, quasi fovea, praedito. Metepisternis longis, antice marginatis et sulcatis, punctis conspicuis sed raris instructis: metasterno ad latera punctos paucos ferente: sternitibus ultimis ad basim sulcatis et crenulatis, ad latera fortissime punctatis; sternite anali maris puncto setigero singulo, foeminae binis utrinque praedito.

Pedes sat breves robustique, tarsis anticis maris modice dilatatis, foeminae articulis primis fortiter, instar dentis, intus prominentibus.

Habitat: Kamerun, sine alio indictio (legit Conradt).

Holotypus et paratypi in coll. Kraatz in Deutsches Entomologisches Institut, allotypus et paratypus in coll. Straneo.

Praesentia punctorum in proepisternis et marginis basalis elytrorum, forma pronoti (cuius latera distincte sinuata et reflexa ante angulos posticos sunt) et elytrorum, valde brevium, sufficiunt ad distinctionem *Caelostomi punctisterni* ab omnibus speciebus propinquis (*Tschitscherini* Burg., *Gerardi* Burg., *parvulus* Tschit.).

Caelostomus immarginatus n. sp.

Colore nigro nitido, antennis, palpis pedibusque ferrugineis. Long. 4,1 mm: lat. 2 mm.

Caput sat robustum, oculis valde convexis, temporibus nullis, sulcis frontalibus antice latis et profundis, postice angustis, modice elongatis, punctis paucis sed conspicuis praeditis; sutura frontis et epistomatis valde notata et duplicata, sparsim punctata; fronte inter oculos depressione sat profunda et arcuata notata, post depressionem levi, non punctata: antennis moniliformibus, modice elongatis, basim pronoti vix superantibus.

Pronotum transversum, subcordiforme, convexum: long. 1 mm: lat. 1,4 mm: lat. marginis anterioris 0,9 mm; lat. basis 1,2: lateribus antice fortiter rotundatis, postice convergentibus, ante angulos posticos distincte sinuatis; angulis anticis non prominentibus, valde rotundatis; posticis parum obtusis, fere rectis, apice dente parvo instructo: basi utrinque profunde unisulcata, sulcis basalibus longis, profundis, antice convergentibus, a margine laterali separatis spatio leviter impresso, quasi secundum sulculum basalem constituente, extus plica viva limitatum: margine late-

rali subtili, canaliculo sat lato, basim versus angustato, leviter crenulato: basi levi, non punctata, inter sulcos depressa: disco sat convexo, linea media elongata et profunda, levissime crenulata.

Elytra convexa, ovalia, brevia: long 2,5 mm: lat. 2 mm, lateribus ad humeros fortiter, dein leviter rotundatis, (maxima latitudine in media longitudine), postea gradualiter convergentibus: margine basali rudimentali: humeris valde rotundatis, striis profundis et conspicue crenulatis; interstitiis convexis; sinuositate praeapicali valde notata; apice sat acute rotundato.

Subtus proepisternis punctis crassis omnino tectis, prosterno longitudinaliter fortiter sulcato, antice fortiter marginato, impressione alia transversa modica; processu ad apicem impressione parva et profunda, quasi fovea, praedito. Metepisternis longis, crasse punctatis, antice modice sulcatis; metasterni lateribus punctis paucis instructis: sternitibus ultimis ad basim fortiter sulcatis et crenulatis, ad latera crebre et crasse punctatis: sternite anali maris puncto singulo conspicuo utrinque et impressione longitudinali distincta inter punctos praedito; foeminae punctis binis utrinque instructo.

Pedes sat breves robustique, tarsis anticis maris modice dilatatis, foeminae articulis primis fortiter, instar dentis, intus prominentibus.

Habitat: Kamerun, sine alio indictio (legit Conradt), 2 ex, ♂♀.

Holotypus in coll. Kraatz in Deutsches Entomologisches Institut, allotypus in coll. Straneo.

Caelostomo Gerardi Burg. propinquus, differt statura minore, impressione frontali, proepisternis fortius punctatis, etc.

Neotropische Psychiden aus dem Deutschen Entomologischen Institut.

(Lepidoptera.)

Von Paul Köhler,
Laboratorio de Zoologia Agricola, Buenos Aires.

(Mit 1 Textfigur.)

Vom Deutschen Entomologischen Institut wurden mir 10 neotropische Psychiden zur Bestimmung übersandt. Sie gehören 5 verschiedenen Spezies an:

Oiketicus kirbyi Guild. 2 Expl. Ingenio Las Palmas, Chaco Austral, E. Pfeiffer leg.

Oiketicus geyeri Berg. 3 Expl. Ingenio Las Palmas, Chaco Austral, E. Pfeiffer leg.; 1 Expl. Argentinien, Tornquist leg.

Oiketicus lizeri Khlr. 1 Expl. Ingenio Las Palmas, Chaco Austral, E. Pfeiffer leg.